

DE PRAELATURA PERSONALI IUXTA LEGES EIUS CONSTITUTIVAS ET CODICIS IURIS CANONICI NORMAS

SUMMARIUM: Die 28-XII-1982, Opus Dei in Praelaturam personalem erectum est: examinantur ergo normae legales quarum vi primae Praelatura personalis erectio facta est, et perpenduntur quoque cann. 294-297 novi CIC. I. - Exegesis Decr. *Presbyterorum Ordinis*, n. 10, in quo respiciuntur non tantum geographica presbyterorum distributio, verum etiam peculiaria opera pastoralia perficienda a novis Ecclesiae institutionibus, scil. a Praelaturis personalibus, etc., salvis iuribus Ordinariorum locorum; perpenditur iter conciliare textus Praelaturas personales respicientis. II. - Pontificiae normae exexecutiae, quoad Praelaturas personales, latae sunt praesertim in Motu pr. *Ecclesiae Sanctae*, 6-VIII-1966, I, n. 4, qui textus examini subiicitur, tum quoad clericorum institutionem, incardinacionem et ministerium, tum quoad laicos qui servitio operum alicuius Praelatura personalis dedicantur, quique reduci nequeunt ad auxiliares externos, sed fieri quoque possunt coparticipes operum Praelatura et, vi conventionis, sub Praelati regimine poni ad Praelatura finem quod attinet, quin eiusdem constituant « populum proprium ». III. - Quoad Praelaturam personalem Sanctae Crucis et Operis Dei breviter examinantur eius finis ac praecipuae notae distinctivae eiusque insertio in actionem pastoralem Ecclesiae universalis Ecclesiarumque localium; Praelati iurisdictio, integra relinquens Episcopi dioecesani iura; condicio clericorum Praelatura atque laicorum qui eidem incorporantur; clericorum ordinatio, qui Praelatura incardinantur, quique semper e laicis proveniunt fini et operibus Praelatura deditis. IV. - Praelatura personales in novam legislationem canonicanam introducuntur; cann. 294-297 CIC essentialia continent elementa quae iam in Motu pr. *Ecclesiae Sanctae* exstabant. Uniuscuiusque Praelatura personalis actio, relationes cum Episcopis dioecesanis atque sacerdotum ministerium in eius statutis determinanda sunt. Laicorum dedicatio vocatur « cooperatio organica », quae quidem, iuxta statuta, formas diversas induere potest. Rationes demum perpenduntur propter quas hi canones positi sunt in Parte I « De christifidelibus » Libri II.

1. Die 28 novembris 1982, publici iuris facta est Operis Dei erectio in Praelaturam personalem, quo actu tunc primum ad effectum deducebatur nova illa

iuridica structura, scilicet Praelatura personalis ad peculiaria opera pastoralia perficienda, quam Concilium Vaticanum II exoptaverat¹ quaeque normarum complexum ipsam regentium obtinuerat quidem in documentis a Summo Pontifice latis post Oecumenicam Synodus celebratam², nondum tamen re et opere ad concretam exsistentiam pervenerat. Cum praeterea novus Codex Iuris Canonici promulgatus sit, in quo Titulus « De Praelaturis personalibus » nunc primum exstat, suum momentum habere videtur, ut de iisdem Praelaturis sub aspectu tum historico tum normativo agamus.

Ad expositionem autem nostram quod attinet, ordinem chronologicum pree aliis adhibendum censemus, quapropter, circa subiectam materiam, haec perpendemus:

- I. Concilii Vaticani II documenta.
- II. Motu pr. *Ecclesiae Sanctae*, diei 6 augusti 1966.
- III. Praelatura personalis Sanctae Crucis et Operis Dei erectionem.
- IV. Codicis Iuris Canonici canones.

In ipso vero tractationis limine praemittendum est aptam methodum iuridicam postulare ut leges — omnia scilicet cuiuslibet generis praescripta, tum Concilii tum Sanctae Sedis — intellegantur « secundum propriam verborum significationem », et quidem « in textu et contextu consideratam »³, cui fundamentali criterio,

¹ Loca praecipua sunt Decr. *Presbyterorum Ordinis* (= PO), n. 10 atque Decr. *Ad gentes*, n. 20 nota 4 et n. 27, nota 28.

² Cfr. praesertim Motu pr. *Ecclesiae Sanctae* (= ES), 6 aug. 1966, I, n. 4: in *AAS* 58 (1966), pp. 760-761; Const. Ap. *Regimini Ecclesiae universae*, 15 aug. 1967, n. 49: in *AAS* 59 (1967), p. 901; S. C. pro Episcopis, *Directorium de pastorali ministerio Episcoporum*, 22 febr. 1973, n. 172.

³ CIC, can. 17. Cfr. CIC anni 1917, can. 18.

si dubium aliquod maneat, alia accedunt indolis subsidiariae, nempe recursus ad locos parallelos, ad legis finem et circumstantias et ad mentem legislatoris⁴.

I. DE PRAELATURA PERSONALI IN CONCILII VATICANI II DOCUMENTIS

2. Cum n. 10 Decr. PO locus sit praecipuus ubi de Praelatura personali agitur, praestat ut in primis eiusdem conciliaris praescripti structuram consideremus, ad contextum apte determinadum intra quem de materia nostra dispositiones inveniuntur.

Initium n. 10 Decr. PO, ad modum fundamenti eorum quae sequuntur, respicit donum spirituale, quod presbyteri in ordinatione acceperunt, quodque « illos non ad limitatam quandam et coarctatam missionem praeparat, sed ad amplissimam et universalem missiōnem salutis », quapropter cuncti presbyteri omnium

⁴ Cfr. *ibid.* In defectum methodologicum illi auctores incurre videntur, qui, nimia simplificatione, suum hac de re studium fulciunt aliqua praeconcepta asseveratione, quam tamen sine necessaria probatione acceptant atque statuunt: ex.gr., Concilium tantum voluisse Praelaturas personales ad clerum melius distribuendum per Ecclesias locales, vel exclusive ad opera pastoralia perficienda cum iis fidelium coetibus qui haud facile inseruntur in structuras territoriales, cuiusmodi sunt migrantes, nomades, nautae, etc., vel sollemmodo ad praebendum locorum Ordinariis clericos qui, sub eorum ductu, in huiusmodi opera incumbant. Si, acceptata ea praeconcepta asseveratione, perpendatur dein quid de ipsa legatur in Concilii Oecumenici Actis quidve Patres dixerint vel scripserint circa subiectam quaestionem, studium erit necessario incompletum, ac praeterea via contraria percurritur, nam gressus fit a fine legis atque a mente legislatoris — quae in casu praesumuntur, sed non probantur — usque ad textum approbatum et promulgatum. Cf. W. AYMANS, *Der strukturelle Aufbau des Gottesvolkes*, in « *Archiv für kath. Kirchenrecht* » 148 (1979), p. 465; J. MANZANARES, *De Praelature personalis origine, natura et relatione cum iurisdictione ordinaria*, in « *Periodica* » 69 (1980), pp. 387-421; L. DE ECHEVERRÍA, *Un comentario difícil*, in « *Vida Nueva* », n. 1.343, 11 sept. 1982, p. 24.

ecclesiarum sollicitudinem participare debent. Ex ampla hac visione atque altiore perspectiva duplex eruitur consectarium in documento conciliari.

Fovet in primis Decretum cleri aptiorem distributionem geographicam, quem in finem presbyteros incitat ut « libenter se paratos praebeant, permittente vel exhortante proprio Ordinario, ad suum ministerium in regionibus, missionibus vel operibus cleri penuria laborantibus exercendum », quod ut facilius ad effectum deduci queat, Concilium postulat maiorem flexibilitatem disciplinae iuridicae de incardinatione et excardinatione, creationem Seminariorum internationalium, etc. Decretum autem conciliare non se continet intra limites quaestioneeris de geographica cleri distributione, sed ultra progredivit, nam visionem etiam magis dynamicam structurarum pastoralium proponit:

« Ubi vero ratio apostolatus postulaverit, faciliora reddantur *non solum apta Presbyterorum distributio, sed etiam* (ergo novum introducitur thema) *peculiaria opera pastoralia* pro diversis coetibus socialibus, quae in aliqua regione, vel natione aut in quacumque terrarum orbis parte perficienda sunt ».

Ad textum recte intellegendum, duplex haec perspectiva p[re]ae oculis habeatur necesse est: Concilium enim non postulat tantum flexibilitatem normarum atque institutionum ad faciliorem reddendam geographicam cleri distributionem per Dioeceses aliasque circumscriptiones territoriales, sed petit etiam ut, quoties id necessarium vel opportunum videatur — videlicet « ubi ratio apostolatus postulaverit » — novae instituantur structurae pastorales, cum munere proprio ipsis commendato: ut exsequantur nempe « peculiaria opera pastoralia pro diversis coetibus socialibus » idque non

solum « in aliqua regione, vel natione », verum etiam « in quacumque terrarum orbis parte »⁵.

⁵ *Pro diversis coetibus socialibus*: etiam hi *coetus intellegendi* sunt « secundum propriam verborum significationem ». Applicatur nempe hoc praescriptum conciliare cuilibet coetui, neque licet ipsum *exclusive* restringere ad eos qui, iuxta Decr. *Christus Dominus*, n. 18, « ob vitae condicionem communi ordinaria parochorum cura pastorali non satis frui valent aut eadem penitus carent, uti sunt quamplurimi migrantes, exsules et profugi, maritimi sicut et aeronavigantes, nomades aliisque id genus ». Coetus fidelium qui haud facile inseruntur in ordinarias structuras curae pastoralis possunt utique frui adstantia ex parte alicuius Praelatura personalis huiusve generis incepti ad peculiaria opera pastoralia perficienda, uti patet ex Decr. *Ad gentes*, n. 20, nota 4 (quoad illos coetus hominum qui, in quibusdam regionibus, « formae peculiari quam Ecclesia ibi induerit sese accommodare nequeant »), necnon, quoad migrantes, ex Instr. S. Congregationis pro Episcopis, 22 aug. 1969, n. 16 § 3 (*AAS* 61, 1969, pp. 614 ss.) atque ex Directorio *De pastorali ministerio Episcoporum*, 22 febr. 1973, n. 172. Nulla tamen ratio suffragatur restrictivae interpretationi ad hos casus, quia: a) Decr. *Christus Dominus* et PO in eadem Concilii periodo promulgata sunt (respectively, diebus 28 oct. et 7 dec. 1965), quin ulla tamen hac de re in uno documento ad alterum habeatur referentia (et notandum est Decr. *Presbyterorum Ordinis* expresse remittere ad Decr. *Christus Dominus*, n. 18 in nota 30 Capitis II): nulla referentia hac in re, ne ad modum quidem exempli — quamvis textus Decr. PO pree oculis habeat alio in loco Decr. *Christus Dominus*, n. 18 —, quae tamen referentia, saltem in nota ad calcem, esset utique necessaria si verba Decr. PO, n. 10, de Praelaturis personalibus, etc., valerent solummodo et taxative quoad illos casus; immo vero, absentia huius referentiae plane indicat praedicta verba respicere quemlibet coetum socialem specialem ac determinatum, qui peculiari indigeat opere pastorali, sine ulla restrictione; b) nihil pariter habetur de Decr. *Christus Dominus*, n. 18, in ES, I, nn. 1-4, ubi de subiecta materia agitur, et quidem « ad exsequenda Concilii Decreta a verbis incipientia: *Christus Dominus ... Presbyterorum Ordinis* », uti legitur in huius pontificii documenti introductione; c) quae praecedunt confirmationem obtinent si Concilii Acta inspiciantur: ibidem enim peculiaria opera pastoralia describuntur ut « peculiares apostolatus sociales vel intellectuales vel etiam penetrationis in diversos sociales ordines » (Schema *De clericis*, 22 apr. 1963, n. 43, nota 8: in *Acta Synodalia*, III, IV, p. 845; vid. etiam Schema *De sacerdotibus* appendix, 27 nov. 1963, n. 39: in *Acta Synodalia*, III, IV, p. 880);

3. His praemissis, ad examen procedere possumus verborum quae in Decreto sequuntur quaeque ad quaestioneis nostrae cardinem spectant, scilicet:

« Ad hoc ergo quaedam seminaria internationalia, peculiares dioeceses vel praelatura personales et alia huiusmodi utiliter constitui possunt, quibus, modis pro singulis inceptis statuendis et salvis semper iuribus Ordinariorum locorum, Presbyteri addici vel incardinari queant in bonum commune totius Ecclesiae ».

Ad hoc ergo ... constitui possunt: id est, ad duplum illum finem, nempe ad aptiorem fovendam cleri geographicam distributionem necnon ad peculiaria opera pastoralia perficienda.

Quaedam seminaria internationalia: quae esse possunt vel communia seminaria vel indolis specialisatae, in quibus scilicet presbyteri instituantur aliquibus concretis ministeriis adscribendi.

Peculiares dioeceses: verbum « Dioecesis » intellegendum est iuxta descriptionem traditam in Decr. *Christus Dominus*, n. 11, ita ut complectatur portionem quandam Populi Dei, quam pascit Episcopus⁶ cum

in Relatione Schematis propositionum *De sacerdotibus*, 27 apr. 1964 Exc.mus Marty, nomine Commissionis conciliaris explanat textum agere de « perficiendis specialibus operibus apostolatus (uti sunt e.g. apostolatus intellectualis vel inter opifices) »: in *Acta Synodalia*, III, IV, p. 851; in Schemate autem *De ministerio et vita presbyterorum*, Patribus tradito die 20 nov. 1964, haec leguntur in n. 10: « peculiaria opera pastoralia pro quibusdam coetibus socialibus, v.g. pro opificibus vel intellectualibus » (*Acta Synodalia*, IV, IV, p. 847); in sequenti vero redactione, diei 28 maii 1965, « expunguntur verba: v.g. pro opificibus vel intellectualibus, quae non videntur necessaria », uti dicitur in Commissionis Relatione (*Acta Synodalia*, IV, IV, p. 383); textus sic remansit, non obstante petitione in scriptis a quattuor Patribus exhibita, ut talia verba iterum introducerentur « quia plurimum sensum illustrant verborum sequentium, scil. peculiares dioeceses vel praelatura personales et alia huiusmodi » (*Acta Synodalia*, IV, V, p. 461).

⁶ Episcopus quidem potestate propria, ordinaria et immediata

cooperatione presbyterii. Cur vero Dioeceses de quibus hic agitur dicuntur *peculiares*? Haud sane quia carent Episcopo, presbyterio vel portione Populi Dei, quo in casu ne Dioeceses quidem sive Ecclesiae particulares appellari valerent, sed quia earum opus pastorale perficiendum est cum fidelibus qui circumscribi nequeunt ratione territorii, sicut aliae Dioeceses, sed aliis *peculiaribus* criteriis indolis potius personalis. Haec figura non respicit aptiorem distributionem geographicam clericorum, quia Ecclesia particularis, licet omnium Ecclesiarum sollicitudinem participare debeat, minime constituitur primarie ut alias adiuvet Dioeceses, sed ut vitam habeat in semetipsa, ita ut « pastori suo adhaerens ... per Evangelium et Eucharistiam in Spiritu Sancto congregata », talis re vera efficiatur, quae in ipsa « vere insit et operetur Una Sancta Catholica et Apostolica Christi Ecclesia »⁷. Concludendum est ergo has peculiares Dioeceses, si quando ipsae constituantur, necessario prospicere debere *plenaे atque ordinariae curae animarum* quoad eos fideles qui earundem Populi Dei portionem constituant, quia aliter non essent Dioeceses.

Vel praelatura personales: post Dioeceses enumerantur Praelatura personales, et haec est differentia inter utramque: Praelatura personales constitui possunt non solum ad *ordinariam* curam pastoralem erga aliquos *peculiares fidelium coetus* exercendam⁸, verum etiam ad *peculiaria opera pastoralia* similiter pro coetibus quibuslibet perficienda, quae quidem opera — uti postea fusius elucidare curabimus — ad effectum deducivalent tum a Praelatura ipsa, qua tali, tum ab eius

instructus (cfr. Const. dogm *Lumen gentium*, n. 27; Decr. *Christus Dominus*, n. 11). Vid. CIC, can. 381 § 1.

⁷ Decr. *Christus Dominus*, n. 11.

⁸ Cfr. nota 5 huius studii.

presbyteris, qui in diversas Ecclesias particulares mittantur ut munera dioecesana suae vocationi congruentia in iisdem exerceant⁹.

Et alia huiusmodi: ergo Concilium amplam sternit viam, ut aliae similes figurae, quarum natura non determinatur, haberi queant, si adiuncta id suadeant.

Modis pro singulis inceptis statuendis: id postulatur a diversitate figurarum quas textus respicit (seminaria, Dioeceses, Praelaturas et alia huiusmodi); ideo unumquodque inceptum suas habeat oportet normas iuris particularis, a competenti auctoritate probandas, quibus apte determinentur ipsius constitutio atque agendi modus, etiam quod ad relationes attinet cum aliis ecclesiasticis iurisdictionibus.

Et salvis iuribus Ordinariorum locorum: quae clausula respondet ad exigentiam ex ipsa rei natura profluentem, et in mentem revocat necessitatem ut lex positiva systema statuat vi cuius loci Ordinarii iura integra semper maneant, uti exponemus, quoad Praelaturas personales, in n. 16 huius studii.

Presbyteri addici vel incardinari queant: «addictio» est verbum genericum, significans destinationem plus minusve stabilem alicui functioni¹⁰; «incardina-

⁹ Ad hanc alteram speciem pertinet Missio Galliae, quae tamen est de iure Praelatura nullius seu territorialis. Cfr. PIUS XII, Const. Ap. *Omnium Ecclesiarum*, 15 aug. 1954: in *AAS* 46 (1954), pp. 567-574. Vid. etiam J. DENIS, *La Prélature nullius de la Mission de France*, in «*L'Année Canonique*» 3 (1954-1955), pp. 27 ss.; E. JOMBART, *La réorganisation actuelle de la Mission de France*, in «*Revue de Droit Canonique*» 4, 1954, pp. 420 ss.; F. FAUPIN, *La Mission de France*, Tournai 1960.

¹⁰ Agitur quoque de sacerdotibus incardinatis vel addictis in Decr. *Christus Dominus*, n. 28. Quoad usum verbi «addicti», cfr. expressiones quales: «sacerdotes, qui operibus supradioecesanis sunt addicti» (*ibid.*, n. 29), «sacerdotum ... eidem paroeciae addictorum» (*ibid.*, n. 30), «illi qui novo pastorali operi addicuntur» (Decr. *Presbyterorum Ordinis*, n. 19), etc.

tio » vero est vinculum clericum coniungens cum aliqua Ecclesia particulari vel Praelatura personali, aut cum aliquo Instituto vitae consecratae vel Societate, facultate sibi clericos incardinandi praeditis; incardinatio est clericis omnino necessaria, « ita ut clerici acephali seu vagi minime admittantur »¹¹, sed potest contingere quod clericus sit incardinatus alicui structurae ecclesiasticae et simul sit addictus alii operi pastorali: talis est casus illius presbyteri qui, de licentia utriusque Ordinarii, ab una in aliam dioecesim transit, non amissa incardinatione. His positis, verba quae commentamur sic intelligenda esse videntur: *incardinatio* valet exclusive quoad Dioeceses vel Praelaturas aliasve structuras; *addictio* vero etiam quoad seminaria. Nihil tamen impedit quominus clericus alibi rite incardinatus addicatur alicui Dioecesi similiue structurae¹². Ut patet, haec incardinatio valet pro presbyteris cleri saecularis, quia religiosi adquirere nequeunt novam incardinationem quin ipso facto proprii Instituti religiosi membra esse desinant, quod pariter valet pro membris earum Societatum quae in CIC anni 1917 vocabantur « vitae communis », nunc autem, in novissimo CIC (cann. 731 ss.), appellantur Societates vitae apostolicae.

In bonum commune totius Ecclesiae: ita manifestatur mens seu intentio Concilii, quod incepta de quibus supra praevidet ob rationes bonum Ecclesiae commune respicientes, ut eruitur quoque ex considerationibus introductoriorum n. 10 Decreti, circa omnium Ecclesiarum sollicitudinem quae informare debet tum singu-

¹¹ CIC, can. 265; cfr. CIC anni 1917, can. 111 § 1.

¹² Hoc contingit, ex. gr., quoad Vicariatus castrenses, qui plerumque non habent clericos sibi incardinatos. Nihil obstat pariter quominus presbyteri religiosi addicantur alicui Vicariatui castrensi similiue incepto pastorali, ut de facto frequenter accidit.

lorum presbyterorum vitam tum hierarchicam constitutionem structurarum pastoralium¹³.

Existimamus necessarium non esse ut ultra progrediamur in exegesi Decreti: quae sequuntur enim clericos respiciunt quoslibet qui ad novam regionem mittuntur, et pari ratione valent tum pro transeuntibus ab una in aliam Dioecesim territorialem, tum pro iis qui, alicui Praelatura personali legitime incardinati, in locum quemlibet pergit.

Restat tamen ut consideremus inscriptionem sub qua positi sunt nn. 10 et 11 Decr. PO, quae sic sonat: « Presbyterorum distributio et vocationes sacerdotales », cuius prima pars (« Presbyterorum distributio ») se refert ad n. 10, altera vero (« vocationes sacerdotales ») ad n. 11. Ex hoc epigraphe deduxerunt quidam n. 10 Decreti respicere solummodo geographicam presbyterorum distributionem, sed id quod textus continet, quodque duas contemplatur quaestiones diversas, licet complementares — id est, territorialem cleri partitionem et peculiaria opera pastoralia —, plane ostendit verbum « distributio » ita esse intellegendum, ut praedictas duas ideas complectatur. Sensus ergo talis verbi, in casu de quo agimus, hoc modo describi valet: actionis presbyterorum apta dispositio, attentis necessitatibus sive territorialibus sive aliis generis, ut ad personas quamplurimas perveniat. Reductio enim « distributionis » ad significationem mere geographicam satis faceret quidem priori postulatui conciliari in n. 10 Decr. PO enuntiato, haud vero alteri petitioni — cfr. n. 2 huius studii —, ad quam exsequendam praevidentur, inter alia, peculiares Dioeceses, quae, ex ipsa earum natura, uti iam supra ostendimus, nequeunt omnino reduci ad structuras quibus incardinentur sacerdotes

¹³ Cfr. n. 2 huius studii.

alias in dioeceses mittendi, et ideo hae peculiares Dioeceses extra locum versarentur in hoc textu, si Concilii intentio ad cleri geographicam partitionem reducenda esset.

4. Ad modum ergo sumptus, haec asseverare licet de Praelaturis personalibus, prout in Decr. PO describuntur:

— Ratione apostolatus id postulante, utiliter constitui possunt ad peculiaria opera pastoralia quae pro diversis coetibus socialibus in aliqua regione, vel natione aut in quacumque terrarum orbis parte perficienda sunt, quae opera ad effectum deduci queunt sive a Praelatura ipsa, uti tali, sive ab eius presbyteris sub completo et immediato loci Ordinarii ductu.

— Ex rei natura constare debent Praelato et clero eisdem incardinato (semper saeculari) vel saltem addicto.

— Cum figura sit flexibilis et diversos aspectus complecti valeat, unaquaeque Praelatura legem propriam habeat oportet, a competenti auctoritate conditam: id est, constitutio ad effectum deduci debet « modis pro singulis inceptis statuendis ».

— Necesse est ut, quae ad locorum Ordinarios pertinent iura, salva semper maneant.

5. Quae hactenus scripsimus plane confirmantur perspectis huius Decreti schematibus usque ad textum promulgatum, attentis quoque competentis Commissionis Relationibus explicativis, Concilii Patribus exhibitis.

Ante Oecumenicae Synodi initium, Commissio *De disciplina cleri et populi christiani*, mense ianuario a. 1961, schema confecerat *De distributione cleri*¹⁴, circa quod disceptatum est a Patribus Pontificiae Commissionis Centralis Praeparatoria, diebus 10 et 11 no-

¹⁴ Cfr. *Acta et documenta Concilio Oecumenico Vaticano II apparando*, series II (praeparatoria), II, I, pp. 563-565.

vembris eiusdem anni¹⁵. Hoc schema decem numeris constabat, in quibus de quaestionibus sat inter se diversis agebatur, quas Commissionis Centralis Membra perpenderunt: ex. gr., de Episcoporum sollicitudine circa universam Ecclesiam (n. I), de Praelaturis (n. IV), de normis quoad incardinationem et excardinationem (n. IX), de Religiosorum privilegio exemptionis (n. X), etc.¹⁶.

In n. IV schematis haec leguntur:

« In bonum omnium alicuius Nationis (vel alicuius Regionis, quae forte ex pluribus nationibus constet) dioecesum, constituantur, pro terum adiunctis et locorum indigentia, Consecrationes cleri saecularis — quales in aliquibus regionibus iam exstant ibique ‘Misiones nationales’ nuncupantur —

¹⁵ Cfr. *ibid.*, pp. 565-595 necnon, quoad absentes, pp. 733-748.

¹⁶ Haec quaestionum congeries magna diversitas, quae duxit ad dubitandum circa Commissionis *De disciplina cleri et populi christiani* competentiam ad eas omnes pertractandas (cfr. *ibid.*, pp. 571, 575, 577, 582-583, etc.), non satis prae oculis haberi videtur a J. MANZANARES (cf. supra, nt. 4, pp. 394 ss.), qui, licet animadverat multos Patres in suis interventibus non agere de Praelaturis, ad ipsas tamen refert cuncta quae in discussione dicta sunt, ex. gr., quae circa n. X (de Religiosorum exemptione) exponuntur a Patr. Meouchi (in scriptis) necnon a Card. Richaud, quocum concordat Exc.mus Bazin (cfr. *Acta ...*, cit., pp. 739-740, 575 et 592), vel sententiam Patr. Cheikho, de non omittendo n. I schematis (cfr. *ibid.*, p. 590). Immo et ad Praelaturas applicat animadversionem Card. Confallonieri circa aliud schema (nempe *De clericorum vitae sanctitate*, nn. VIII et XIII), ubi affirmat Em.mus: « Inducitur quaestio de vocibus *sacerdos dioecesanus* — *clerus dioecesanus*. Iuxta usum — ius — liturgiam — psychologiam, ne unitas dioecesis amplius inflectatur, termini antiquitus usitati ad indicandum Clerum saecularem et religiosum, non sunt immutandi » (*ibid.*, p. 602): ex verbis « ne unitas dioecesis amplius inflectatur », quae in integro eorum contextu transcribimus, nihil erui posse videtur neque in favorem Praelaturarum neque contra ipsas, cum animadversio de re omnino diversa agat. Idem dici valet de interventu Card. Bea, qui modo generali postulat ut in schemate « non statuantur particularia, quae relinquuntur Conferentiis Episcoporum diversarum nationum » (*ibid.*, p. 590), quam petitionem Card. Jullien expresse proponit quoad Praelaturas, nisi quaestio transmittatur ad Commissionem Conciliarem *De Seminariis* (cfr. *ibid.*, pp. 575-576).

quae in Praelaturam, cum aut sine territorio, erectae, sub regimine sint certi Praelati, eiusdem Praelaturaे Ordinarii.

Istius Praelati erit Seminarium nationale erigere ac diriger, in quo alumni instituantur in servitium totius Nationis, vel Regionis.

Eidem Praelato ius sit alumnos ita institutos incardinandi, eosque ad Ordines promovendi 'titulo Missionis Nationalis vel Regionalis'.

Onus tandem sit Praelato providendi decorae sustentationi eorum, quos promoverit titulo praedicto »¹⁷.

6. In adunatione habita diebus 21-29 ianuarii 1963, Commissio *De Concilii laboribus coordinandis* normas tradidit Commissioni *De disciplina cleri* circa schema redigendum *De clericis*, quod constare debebat tribus capitulis necnon exhortatione finali « De distributione cleri ». Iuxta has receptas indicationes apparatus est textus, quem examini subiecit Commissio *De Con-*

¹⁷ *Ibid.*, p. 564. Circa hunc numerum, hae animadversiones propositae sunt a Membris Commissionis Centralis: Card. Ferretto postulat ut pressius determinentur ipsa figura Praelaturaे sine territorio necnon Praelati iura et officia (*ibid.*, p. 572); Card. Gracias, cui adhaeret Card. Garibi y Rivera (*ibid.*, p. 588) et Exc.mus Landázuri Ricketts exoptant ut accurate normae statuantur de relationibus loci Ordinarios inter et Praelatum, et prior Pater quaestionem proponit de modo quaerendi vocaciones pro Seminario Praelaturaе deque ministerio ab eiusdem sacerdotibus exercendo (*ibid.*, pp. 573-574, 580, 592); exsistimat Card. Larraona id quod in n. IV exponitur adhuc esse « in experimento et probatione », quapropter « prorsus praematura videntur, ut secure non iam *commendari* et *proponi* tantum, sed esto 'pro rerum adiunctis et locorum indigentia' fere *ordinari* ('constituantur') valeant », et haec figura « expoliri et perfici valet ita ut minoribus ansam *praebeat difficultatibus* » (*ibid.*, p. 577); Card. Godfrey et Heard exoptant ut n. IV clarificetur (*ibid.*, pp. 588 et 590); Card. Frings petit ut numerus IV deleatur, quia « unusquisque Episcopus est responsabilis pro clero suaे dioeceseos eligendo et educando » (*ibid.*, p. 586), demum Card. Liénart — tunc temporis Praelatus Missionis Galliae — et Ottaviani expresse laudant numerum IV (*ibid.*, pp. 585 et 589). Ergo unus solummodo ex Patribus Commissionis Centralis quaesivit expunctionem numeri IV, de Praelaturis, dum ceteri qui de re egerunt hanc figuram admiserunt, postulantes simul ut pressius ipsa determinaretur vel non praeciperetur taxativis verbis.

ciliis laboribus coordinandis in sessione quae initium habuit die 25 martii eiusdem anni. Hoc schema approbatum est tandem a Summo Pontifice Ioanne XXIII, die 22 aprilis, ut Concilii Patribus transmittenetur. Hic fuit igitur primus textus quem, de re nostra, ipsi Concilii Patres prae manibus habuerunt, et in eiusdem n. 43 legitur:

« Pariter optat Sacrosancta Synodus ut Commissio ad Codicem Iuris Canonici recognoscendum ita normas de incardinatione et excardinatione reficiat, ut, firmo semper manente pervetere hoc instituto, hodiernis pastoralibus adjunctis atque necessitatibus aptius ipsae normae respondeant, itemque commendat ut praefata Commissio formulas iuridicas sanciat — exemplo usa recentium inceptorum (8) — quae distributionem cleri saecularis atque specialia quaedam opera pastoralia faciliora reddant »¹⁸.

In nota autem 8 additur:

« Exempli gratia, Seminaria nationalia vel internationalia, quorum alumni instruuntur ut dioeceses adeant cleri penuria laborantes; Praelatura cum vel sine territorio a Sancta Sede constitutae, quarum sacerdotes, specificam praeparationem consecuti, totis viribus se dent ad animarum bonum promovendum earum dioecesum in qualibet orbis regione, ubi sacerdotes desiderantur specialibus qualitatibus ornati, qui peculiares apostolatus sociales, vel intellectuales vel etiam penetrationis in diversos societatis ordines exequi valeant »¹⁹.

Ad hunc textum plene intellegendum, animadvertere iuvat ipsum considerari non posse continuationem schematis praeparatorii *De distributione cleri*²⁰. Re enim vera, quae de Missionibus nationalibus aliisque inceptis ibidem habebantur fere sine ulla mutatione in schema transierunt *De cura animarum*²¹, quapropter,

¹⁸ *Acta Synodalia*, III, IV, pp. 844-845.

¹⁹ *Ibid.*, p. 845.

²⁰ Cfr. n. 5 huius studii.

²¹ A Summo Pontifice approbatum, die 22 aprilis 1963, ut Concilii Patribus transmittenetur (cfr. *Acta Synodalia*, II, IV, pp. 751-

iuxta indicationes traditas a Commissione de Concilii laboribus coordinandis, in schemate quod tandem sub titulo *De presbyterorum ministerio et vita* promulgatum est, iam ab initio agebatur non solum de cleri geographicā distributione — qua de re normae magis determinatae continebantur in schemate *De cura animalium* —, verum etiam de peculiaribus operibus indolis pastoralis perficiendis tum singillatim, sub immediato Episcopi dioecesani ductu, a clericis alicui Praelaturaē personali similive institutioni incardinatis tum ab ipsa Praelatura seu structura iurisdictionali, salvis utique loci Ordinarii iuribus.

Schema conciliare novum hoc elementum addere ad textum praeparatorium clare etiam patet ex animadversione Card. Richaud, qui, tamquam membrum Commissionis praeparatoriae, nullam habuerat obiectionem relate ad Praelaturas de quibus in schemate anni 1961²², sed scripsit quoad textum anni 1963:

« Si libenter meum favorem affero ad seminaria regionalia, nationalia, internationalia, exceptionem firmam propono de praelaturis sic constitutis inter dioeceses iam existentes, non sine vero damno pro bona hierarchica apostolatus organisatione »²³.

Manifeste igitur patet, etiam sub aspectu historico, Concilii praescriptum, inde a prima eius adumbrata redactione, contemplatum esse duplēcē illam possibili-

826). Haec praescripta inveniuntur in Appendicibus I, *normae vel praescripta in Codicem Iuris Canonici referenda*, nn. 6-10 (*ibid.*, pp. 773-774) et II, *praecipuae normae referenda in Directorium generale pro Episcopis*, nn. 45-47 (*ibid.*, pp. 785-786). Ut in nota schematis legitur, de iis Appendicibus facta non est disceptatio in Congregationibus Generalibus, quia earum normae tradi debebant competentibus Commissionibus post Concilium constituendis (cfr. *ibid.*, p. 771).

²² Cfr. nota 16 huius studii.

²³ *Acta Synodalia*, III, IV, p. 882. Sententiam tamen prorsus contrariam tenet Exc.mus Przyklenk (cfr. *ibid.*, p. 654).

tatem, quam non semel hoc in studio recoluimus, nempe cleri geographicam partitionem — mediante instituti incardinationis et excardinationis apta reformatione — necnon opera pastoralia per peculiares Dioeceses, Praelaturas personales aliasve huius generis institutiones ad effectum deducenda.

Perdurantibus Concilii sessionibus, hic textus suam attinxit formam definitivam, et accuratiores in ipsum introductae sunt determinationes, scilicet:

a) loco « Praelatura cum vel sine territorio », dicitur « Praelatura personales »²⁴;

b) ne Seminaria internationalia, peculiares Dioeceses, Praelatura personales aliaque huiusmodi nimis multiplicantur²⁵ neve praecipi videantur²⁶, in redactione promulgata legitur: « *quaedam seminaria internationalia, peculiares dioeceses vel praelatura personales et alia huiusmodi utiliter constitui possunt* »;

c) attenta diversitate formarum, quam hae structurae induere queunt, additur clausula « modis pro singulis inceptis statuendis »²⁷;

d) adiungitur demum condicio « salvis semper iuribus Ordinariorum locorum »²⁸, quae recto ordini

²⁴ Cfr. Schema propositionum *De sacerdotibus*, 27 apr. 1964, n. 6 (*Acta Synodalia*, III, IV, p. 848).

²⁵ Cfr. animadv. Conferentiae Ep. Indonesiae (*Acta Synodalia*, III, IV, pp. 655 et 969; IV, IV, p. 917). Vid. Schema Decreti *De ministerio et vita Presbyterorum*, textus recognitus et relationes, 28 maii 1965, n. 10 (*Acta Synodalia*, IV, IV, pp. 354 et 383).

²⁶ Cfr. Schema Decreti *De ministerio et vita Presbyterorum*, in Aula Conciliari Patribus traditum die 20 nov. 1964, n. 10 (*Acta Synodalia*, IV, IV, pp. 847-848).

²⁷ Cfr. Schema propositionum *De vita et ministerio sacerdotali*, 1964, n. 8 (*Acta Synodalia*, III, IV, p. 230).

²⁸ Cfr. Schema propositionum *De sacerdotibus*, 27 apr. 1964, n. 6 (*Acta Synodalia*, III, IV, p. 848). Haec formula aptior visa est quam illa quae in schemate habebatur *De sacerdotibus*, n. 39, nota 8, a Commissione *De disciplina cleri et populi christiani* approbato die 27 nov. 1963 sed typis edito ad modum appendicis propo-

respondet et ab ipsa rei natura postulatur, quoties de inceptis agatur quae opera sibi peculiaria exerceant, et ideo apte inserantur oportet in actionem pastoralem Ecclesiae universalis atque Ecclesiarum localium.

Ita lineamenta quaedam adumbravimus quae adiutorio esse possunt ei, qui studio historico hac de re operam dare velit. Nimis autem a proposito recedemus, si hac via nostrum studium prosequeremur, nam id intendebamus unum: ostendere scilicet Concilium Vaticanum II, iam ab eius initio, p[re]ae oculis habuisse Praelaturas personales non ad limitatam quandam missionem adimplendam, sed ad multiformem apostolatum exercendum.

II. DE PRAELATURA PERSONALI IN MOTU PR. « ECCLESIAE SANCTAE »

7. Summus Pontifex Paulus VI Commissiones postconciliares constituerat²⁹ et, quoad multa Concilii Vaticani II Decreta, vacationem statuerat usque ad diem 29 iunii 1966, quod tempus deinde prorogaverat³⁰. Die vero 6 augusti 1966 promulgavit Motu pr. *Ecclesiae Sanctae*³¹, « ad exsequenda Concilii Decreta

sitionum *De sacerdotibus*, diei 27 apr. 1964. In hoc enim textu, Concilii Patribus pro informatione tantum submisso, loci Ordinarii iura respiciebantur solummodo relate ad sacerdotes quibus ipse commisisset munus aliquod in Dioecesi: « Uniuscuiusque Praelature sacerdotes, in quolibet perfungendo munere dioecesano, sibi ab Ordinario loci commisso, plene eiusdem auctoritati subiaceant nullaque fruantur ab Ordinario loci exemptione » (*Acta Synodalia*, III, IV, p. 881).

²⁹ Cfr. Motu pr. *Finis Concilio*, 3 ian. 1966: in *AAS* 58 (1966), pp. 37-40.

³⁰ Cfr. Motu pr. *Munus apostolicum*, 10 iun. 1966: in *AAS* 58 (1966), pp. 465-466.

³¹ Cfr. *AAS* 58 (1966), pp. 757-787. Nos referemus ad Partem I huius documenti, ubi normae continentur ad exsequenda Decreta *Christus Dominus et Presbyterorum Ordinis*.

a verbis incipientia: *Christus Dominus* (de pastorali Episcoporum munere in Ecclesia), *Presbyterorum Ordinis* (de Presbyterorum ministerio et vita) ... ». In his igitur Litteris Apostolicis normae exstant quibus Concilii praescripta ad effectum deducebantur: haud quidem per actum mere exsecutivum, quo norma aliqua vigere incipit, sed authentica quoque eiusdem interpretatione, per modum legis exhibita, ab eadem Suprema Auctoritate quae, una cum Concilii Patribus, eius Decreta approbaverat et promulgari iusserat.

Attenta proinde huius documenti vi consideratoque eius pondere, per opportunum videtur ut eiusdem quosdam aspectus breviter consideremus, nempe:

a) de numeris 1-4 Partis I deque eorum inscriptione seu rubrica (n. 8 huius studii);

b) de Praelatura personali prout in n. 4 describitur (n. 9);

c) de quaestione aliqua particulari ad n. 4 pertinenti, seu de laicis peculiari operi Praelaturaे personalis deditis (nn. 10-11).

8. Numeri 1-4 documenti pontificii ponuntur sub inscriptione « *Cleri distributio et subsidia Dioecesisibus praestanda* (CD 6 et PO 10) », circa quod duo consideranda sunt:

— in primis, distinctio fit inter cleri distributionem et subsidia Dioecesisibus praestanda. Id, ni fallimur, alias est modus enuntiandi duplum illum aspectum quem Decreti PO praescripta contemplantur: ex una parte, geographicam cleri distributionem; ex altera vero, peculiaria opera pastoralia quae apte inserantur in actionem organicam Ecclesiae universalis atque Ecclesiarum localium, redundantque igitur in bonum commune totius Ecclesiae necnon in subsidium singulis Dioecesisibus;

— inter parentheses fit referentia ad Decr. PO, n. 10 — quod nulla videtur explanatione indigere —

atque ad Decr. *Christus Dominus*, n. 6, ubi plures simul pertractantur quaestiones ad Episcoporum sollicitudinem de universa Ecclesia attinentes, vi cuius ipsis curae esse debet ut: a) opera evangelizationis et apostolatus ab omnibus fidelibus sustineantur; b) praeparentur sacrorum administri atque auxiliares, tum religiosi tum laici, pro missionibus ac regionibus cleri penuria laborantibus; c) aliqui e suis sacerdotibus predictas missiones vel Dioeceses adeant; d) materialibus quoque necessitatibus aliarum Ecclesiarum particularium consulant. Continet ergo hic numerus Decreti conciliaris generales indicationes relationem habentes cum materia de qua in Motu proprio, sed perpendendum erit dein ad quas in concreto se referant singuli numeri documenti pontificii, neque licebit eas universas ad singula ipsius ES praescripta indiscriminatim applicare, quod contingeret, ex. gr., si laici de quibus in Motu pr. I, n. 4 ii solummodo intellegentur, qui in Decr. *Christus Dominus*, n. 6, auxiliares vocantur: qua de re fusius postea agemus.

Praeterea, in ES, I, nn. 1-4, de materiis agitur connexis, sed simul diversis, quarum hic est index:

n. 1: de peculiari Consilio apud Sanctam Sedem pro opportunitate instituendo, cuius erit generalia tradere principia quibus regatur aptior cleri distributio³².

n. 2: de competentia et munere Synodorum Patriarchalium et Conferentiarum Episcopalium quoad aptam cleri distributionem.

n. 3: de clericorum transitu ab una in aliam Dioecesim.

n. 4: de Praelaturis ad peculiaria opera pastoralia vel missionalia perficienda.

³² Notandum est exclusive hunc numerum 1 citari in Const. Ap. *Regimini Ecclesiae universae*, 15 aug. 1967, n. 68 § 2, ubi de competentia S. Congregationis pro Clericis relate ad cleri distributionem.

9. Numerus 4 ES verbo incipit « *praeterea* », quasi ad innuendum in ipso praescripta de alia materia contineri. Re enim vera, in nn. 1-3 de geographica agitur cleri distributione³³, dum in n. 4 Praelaturaes describuntur ad peculiaria opera pastoralia vel missionalia perficienda. Ex hoc minime sequitur Praelaturas personales instrumentum esse non posse ad clerum aptius distribuendum, sed concludere utique licet Supremum Legislatorem, in ES, eas praesertim contemplari quatenus peculiarem actionem pastoralem exercere queunt³⁴. Hoc confirmatur praetera quia in eodem n. 4 statuitur Praelatum prospicere debere decorae sustentationi clericorum qui Praelaturaes incardinantur, idque sive « initis conventionibus cum Ordinariis locorum ad quos sacerdotes mittuntur » — quod bene intellegitur si presbyteri illi Dioecesim aliquam adeant ut in ipsa ministerium exerceant quod Episcopus dioecesanus eis committat —, sive etiam « bonis ipsius Praelaturaे propriis vel aliis subsidiis idoneis », quod pariter congruit cum Praelatura quae, de consensu Ordinarii loci et arcta servata cum ipso relatione, opera pastoralia sibi peculiaria exerceat. Id ipsum demum eruitur e praescriptione iuxta quam, dum suam operam praestat Praelatura, « sedulo caveatur, ut iura Ordinariorum locorum serventur et cum iisdem Conferentiis Episcoporum

³³ In Notis directivis *de mutua Ecclesiarum particularium coope ratione promovenda ac praesertim de aptiore cleri distributione*, latis a S. Congregatione pro Clericis die 25 martii 1980 (*AAS*, 72, 1980, pp. 343-364), ter citantur nn. 2 et 3 Partis I Motu pr. *Ecclesiae Sanctae*, semel vero n. 1 (praeter unam citationem implicitam); nulla tamen habetur referentia ad n. 4, neque ad Praelaturaes personales aliaque incepta de quibus in Decr. PO, n. 10.

³⁴ Haec quoque esse videtur praxis Sanctae Sedis, uti colligi potest e documento in nota praecedenti citato necnon e Declaratione S. C. pro Episcopis, diei 23 augusti 1982, de Praelaturaes personalis Sanctae Crucis et Operis Dei erectione.

arctae rationes continuo habeantur », quae verba extra locum viderentur posita, si harum Praelaturarum finis exclusivus esset presbyteros ad diversas Dioeceses mittere, qui munere suo fungantur sub immediato Episcopi dioecesani ductu: hoc enim in casu nulla clausula esset addenda ut loci Ordinarii iura serventur, nam plene ab ipso penderent presbyteri in toto sui ministerii exercitio.

Quoad reliquas praescriptiones in ES, I, n. 4 contentas, haec adumbrare sufficiat:

— Praelatura personales a Sancta Sede eriguntur.

— Ratio huiusmodi erectionis esse debet bonum Ecclesiae commune, scilicet peculiaria opera pastoralia vel missionalia perficienda pro variis regionibus aut coetibus socialibus, qui speciali indigent adiutorio, seu, uti statuitur in PO, n. 10, « in aliqua regione, vel natione, aut in quacumque terratum orbis parte ».

— Hae Praelatura necessario constare debent Praelato proprio et presbyteris cleri saecularis.

— Propriis gaudent Statutis seu normis iuris particularis a Sancta Sede sancitis; pressius ita definiuntur verba PO, n. 10: « modis pro singulis inceptis determinandis ».

— Tales Praelatura eriguntur auditis Conferentiis Episcoporum territorii in quo operam suam praestabunt.

— In exercendis Praelatura operibus « sedulo caveatur, ut iura Ordiniorum locorum serventur »³⁵.

³⁵ Haec est exigentia ex ipsa rei natura profluens, quae expresse statuitur etiam in Decr. PO, n. 10. Per opportunum videtur ut praescripta de hac materia in Praelatura personalis statutis seu iure particulari extent, quia tutius atque facilius securitas iuridica habetur si relationes inter competentem Auctoritatem territorialem et Praelaturam clare ac complete sanciantur in normis a Sancta Sede latis. Per se tamen nihil obstat quominus singulis in casibus modus

— Praelati est de candidatorum ad sacerdotium institutione curare, eos ad Ordines promovere ac Praelatura incardinare eorumque vitae spirituali, formationi et sustentationi providere.

— Praelati quoque est peculiari ministerio sacerdotum Praelatura prospicere, idque « initis conventionibus cum Ordinariis locorum ad quos sacerdotes mituntur »³⁶.

10. Egimus hactenus de *necessariis* cuiuslibet Praelatura personalis elementis. Attamen in ES, I, n. 4 § 4 haec quoque habentur:

« Nihil impedit quominus laici, sive caelibes sive matrimonio iuncti, conventionibus cum Praelatura initis, huius operum et inceptorum servitio, sua peritia professionali, sese dicent ».

Verba haec clara sunt ac perspicua: se referunt ad laicos quoslibet, dummodo iuridica gaudeant capacitate ad conventionem ineundam. Cum autem conventionis sit actus indolis contractualis, praedicta capacitas inter alia requirit aetatem iure determinatam.

Perpendendum tamen est quae relatio constituatur inter laicum et Praelaturam vi huius conventionis, utrum nempe laicus ille merus sit adiutor externus aene contra, sua cooperatio sit organica, ideoque ipse corpori sociali Praelatura incorporetur.

Ad apte respondendum huic quaestioni, animad-

determinetur quo Episcopi dioecesani iura servabuntur. Cfr. autem CIC, can. 297.

³⁶ Hae conventiones seu actus bilaterales, quibus respectiva iura atque officia definiuntur, respicere queunt sive singulos sacerdotes vel sacerdotum coetum — si ipsi Dioecesim adeant ut in eadem munus seu officium ab Episcopo recipient — sive etiam actionem Praelatura qua talis in aliqua Dioecesi; hoc altero in casu conventionio haberit etiam potest per impetrationem consensus Ordinarii loci, ut Praelatura suam in Dioecesi exerceat actionem ad normam statutorum, quae Episcopo dioecesano tradantur. Cfr. CIC, can. 297.

vertamus oportet in primis legis praescriptum non posse ita restringi, ut laicorum participatio in Praelaturaे operibus atque inceptis ad servitia reducatur mere externa, cuiusmodi sunt munera aeditui, oeconomi, catechistae aliaque id genus: patet enim per se id semper esse possibile — relate tum ad Praelaturas personales tum ad alias ecclesiasticas structuras iurisdictionales —, quapropter illa explicita affirmatio, si ita intellegi deberet, prorsus esset inutilis et vacua in textu legali.

Ideo haec legis verba nequeunt exclusive referri ad illos auxiliares « pro missionibus atque regionibus cleri penuria laborantibus », de quibus in Decr. *Christus Dominus*, n. 6. Iam notavimus³⁷ inscriptionem sub qua veniunt nn. 1-4 in ES remittere inter parentheses ad hunc textum conciliarem, sed animadvertisimus quoque varias in ipso quaestiones pertractari, quare non omnia quae in eodem continentur necessario applicanda sunt ad numeros pontificii documenti de quibus nunc agimus, nisi aliud rationabiliter constet. Interpretationi vero restrictivae ad hos casus sequentia obstant:

a) in primis, verba ipsa legis, quae se referunt non ad « auxiliares », sed ad laicos quoslibet « qui, sua peritia professionali, Praelaturaे operum et inceptorum servitio sese dicent »; si autem Legislator solos « auxiliares » respexisset, loco expressionis « sua peritia professionali » aliam simpliciorem adhibuisset, ex. gr., « qui, *tamquam auxiliares*, Praelaturaе operum et inceptorum servitio sese dicent ».

b) verba « sua peritia professionali » proprius atque facilius intelleguntur de laicis suam cuiusque laicalem professionem exercentibus, quam de illis qui munere aliquo funguntur auxiliari seu suppletorio ubi clericus deest;

³⁷ Cfr. n. 8 huius studii.

c) in ES, I, n. 4 § 1, expressio habetur « Praelatura quae constent presbyteris cleri saecularis », quae verba significant Praelaturam personalem existere nullam posse, quae presbyteris non constet, iisque e clero saeculari, haud vero impediunt quominus et laici — uti expresse dicitur in eodem textu legali — Praelatura operum et inceptorum servitio sese dicent;

d) quae hactenus exposuimus apprime congruunt cum Concilii Vaticani II doctrina de Ecclesiae apostolica missione, minime reducenda ad sacrae Hierarchiae actionem, nam laicis competunt partes iisdem propriae in unitate huiusmodi missionis³⁸, qua de causa praescriptum legale de quo agimus ita intellegendum esse videtur: ad peculiaria opera pastoralia perficienda, erigi possunt Praelatura personales, quae constent *semper et necessario* presbyteris cleri saecularis, sed constare etiam valeant laicis qui servitio earundem operum et inceptorum sese dicent.

Si vero laici illi ita cum Praelatura coniungantur, ut eius finem suum faciant ad eumque prosequendum operam dent non tamquam collaboratores sed tamquam coparticipes, sequitur eos mutua iura atque officia acquirere et sub Praelati iurisdictione poni in iis omnibus quae Praelatura actionem quomodolibet respiciunt. Id firmatur per conventionem, vi cuius laicus se obligat ad servitium praestandum Praelatura inceptis, haec vero illum acceptat, ex qua conventione mutua iura atque officia profluunt.

Res non est nova in Ecclesiae iure quod quis relationem acquirat cum aliqua structura iurisdictionali non ex facto obiectivo, quale est domicilium, sed mediante actu voluntatis: id contingit, exempli gratia, quando

³⁸ Cfr. CONC. VAT. II, Const. dogm. *Lumen gentium*, nn. 10 et 30; Decr. *Christus Dominus*, n. 16; Decr. *Apostolicam actusostentatem*, nn. 2, 5, etc.; Decr. *Presbyterorum Ordinis*, n. 9.

quis militiam capessit voluntarius, et ita sub iurisdictione ponitur Ordinarii castrensis, vel quando clericus a propria Ecclesia particulari in aliam legitime transmigrat eiusdemque servitio addicitur³⁹.

Hucusque exposita satis explanant praescriptum legale posse ita sine ulla vi intellegi, ut Praelatura personales adsint quarum, praeter clericos, laici etiam partem efforment, qui quidem — maiore minoreve intensitate, attentis obligationibus quas assumant — sub Praelati iurisdictione inveniantur, quin id necessario secum ferat abruptionem vinculi quo laici praedicti coniunguntur cum Dioecesi ad quam pertinent ratione domicilii.

Haec laicorum dedicatio Praelatura inceptis poterit esse sive ad tempus determinatum sive in perpetuum, ipsaque complecti valebit tum servitia quaedam intra ambitum aliquem apte circumscriptum tum laicorum actionem apostolicam complexive sumptam: id vero, iuxta Praelatura statuta, in conventione determinari debet laicum inter et Praelaturam ineunda.

11. Quoad laicos vero, qui, conventionibus cum Praelatura initis, eiusdem inceptis ac operibus se dedicant, dicendum est ipsos non efformare « populum proprium » Praelatura.

Hac de re animadvertere iuvat canonum schemata redacta esse, perdurante labore Commissionis ad CIC recognoscendum, in quibus expressio adhibebatur « *populus proprius* » relate ad Praelaturas personales, quapropter intellexerunt quidam Praelaturas in novo iure considerari tamquam portiones Populi Dei a loci Ordinarii iurisdictione omnino separatas. Id tamen clarifi-

³⁹ Cfr. CIC, can. 271. Immo vero, simplex actus voluntatis efficere potest transitum ad aliam Ecclesiam particularem, uti contingit quoad coniuges diversi ritus eorumque filios (cfr. CIC, can. 112 § 1, nn. 2 et 3).

catum est ab ipsa Commissione Codici recognoscendo, in Consultorum adunatione habita die 10 martii anni 1980⁴⁰, in qua praedicta referentia ad « populum proprium » suppressa est, quia, uti Exc.mus Secretarius manifestavit, consentientibus cunctis Consultoribus, fideles speciali quadam ratione Praelaturaे devincti haud recte vocari queunt « populus proprius », quasi Praelati iurisdictio in eos sit omnimoda et exclusiva, cum, e contra, oporteat ut ipsa sit *cumulativa* vel *mixta* cum Ordinariis localibus⁴¹.

Haec loci Ordinarii atque Praelati iurisdictio, ex ipsa rei natura, erit *cumulativa* — seu circa easdem materias —, si Praelatura personalis constituta sit ad ordinariam quorundam fidelium curam pastoralem exercendam.

Erit vero *mixta* — scilicet diversa ratione materiae, licet semper in eodem genere, nempe iurisdictio-nis — si loci Ordinarii ac Praelati iurisdictio diversos aspectus respiciant quoad easdem personas, uti contin-git in Praelatura personali ad peculiaria opera pastoralia perficienda.

12. Cum Praelatura personalis ens sit iurisdictio-nale et saeculare ad hierarchicam illam structuram per-tinens, qua Ecclesia actionem suam pastoralem disponit, a Sacra Congregatione pro Episcopis dependet, uti statuitur in Const. Ap. *Regimini Ecclesiae universae*, diei 15 augusti 1967, n. 49 § 1:

« Ad Congregationem pro Episcopis spectat ... novas dio-eses, provincias, regiones constituere ..., Vicariatus Castrenses erigere necnon, auditis Conferentiis Episcoporum territorii, *Praelaturas ad peculiaria opera pastoralia perficienda* pro variis regionibus aut coetibus socialibus speciali adiutorio indi-gentibus; agit praeterea quae attingunt Episcopos, Administra-tores Apostolicos, Coadiutores et Auxiliares Episcoporum, Vi-

⁴⁰ Cfr. « *Communicationes* » 12 (1980), pp. 269 ss.

⁴¹ Cfr. *ibid.*, p. 279.

carios Castrenses ceterosque Vicarios seu *Praelatos iurisdictione personali fruentes, nominandos* »⁴².

Ponitur ergo Praelatura personalis inter alia entia — iuris sive divini sive humani — quae institutionalia seu ad Ecclesiae hierarchicam organizationem pertinentia vocari valent, licet apte distingui debeat ab Ecclesia particulari. Pariter Praelatus personalis una simul cum ceteris Praelatis enumeratur et cuncta quae ad Praelaturas personales attinent sub directa competentia ponuntur Dicasterii Curiae Romanae cui cura est de actione pastorali organizationis hierarchicae.

III. DE PRAELATURA PERSONALIS SANCTAE CRUCIS ET OPERIS DEI ERECTIONE

13. In ephemeride « L'Osservatore Romano », 28-XI-1982, sub sectione *Nostre informazioni*, nuntiatum est Summum Pontificem Ioannem Paulum II erexitisse Praelaturam personalem Sanctae Crucis et Operis Dei ad normam Litterarum Ap. Motu pr. *Ecclesiae Sanctae*, I, n. 4 atque Const. Ap. *Regimini Ecclesiae universae*, n. 49 § 1, necnon eiusdem Praelatum nominasse Rev.mum D.num Alvarum del Portillo, hactenus Praesidem Generalem Operis Dei. Una simul, in eadem ephemeride, publici iuris facta sunt Declaratio S. Congregationis pro Episcopis, diei 23 augusti 1982, atque commentaria Card. S. Baggio⁴³ et Rev.mi M. Costalunga⁴⁴, respective Praefecti et Subsecretarii eiusdem Dicasterii. Cum hoc studium redigitur, nondum publici iuris factum est in AAS, instrumentum pontificium erec-

⁴² AAS 59 (1967), p. 901.

⁴³ *Un bene per tutta la Chiesa*, in « L'Osservatore Romano », 28-XI-1982, pp. 1 et 3.

⁴⁴ *L'erezione dell'Opus Dei in Prelatura personale*: *ibid.*, p. 3.

tionis Praelatura, quod tamen sperandum est fore, ut proxime prodeat, sub forma Constitutionis Apostolicae, prouti usus fert, aliasve similis documenti.

Opportunitas commentariorum Praefecti atque Subsecretarii S. Congregationis facile intellegitur, quia Praelatura personalis figura tunc primum ad effectum deducebatur: maxime ergo congruebat ut convenientes adderentur explanationes, ne dubium oriri posset circa sensum ac extensionem praedicti actus pontificii. Eadem de causa S. Congregatio pro Episcopis expedire duxit ut Declarationem ederet, in qua exponerentur « notae praecipuae quibus constituta Praelatura insignitur ..., ut clare patet ex normis Sanctae Sedis istiusmodi Praelatura structuram atque apostolicam operositatem regentibus ». Hoc ergo documentum non est instrumentum erectionis Praelatura, sed simplex descriptio praescrictorum quae iam habentur in eiusdem Praelatura iure particulari, a Sancta Sede sancito, et simul eorum authentica interpretatio, cum de Declaratione agatur competentis Dicasterii Curiae Romanae, quam Summus Pontifex « ratam habuit, confirmavit atque evulgari iussit ».

Ut completus conspectus habeatur, praecitatis fontibus addenda sunt duo colloquia quae Praelatus Operis Dei — hoc est enim breviatum Praelaturae nomen — diurnariis dedit⁴⁵.

Longum sane fuit iter, quoad ad Praelatura erectionem tandem duxit, quia, ex commisso sibi a Summo Pontifice munere, S. Congregatio pro Episcopis perpendere debebat utrum erectio huiusmodi Praelatura, cum omnibus eius characteribus, adamussim responderet

⁴⁵ Cfr. J. NAVARRO VALLS, in « ABC » (Madrid), 29-XI-1982, pp. 25-29 et « Avvenire » (Milano), 30-XI-1982, p. 5 et 1-XII-1982, p. 5; P. G. PALLA, in « Il Tempo » (Roma), 30-XI-1982, p. 14 et « Ya » (Madrid), 30-XI-1982, pp. 41-42.

necne ad normas iuris generalis, sine ullo privilegio vel indebita legis extensione. Iuxta praxim habitualem, S. Congregatio non evulgavit studium iuridicum hac de re peractum, in quo, absdubio, quaestiones accurate examinatae sunt de Praelati potestate, de peculiari opere apostolico Praelaturaे deque eius harmonica insertione in actione pastorali Ecclesiae universalis singularumque Ecclesiarum localium, de laicorum incorporatione Praelaturaे — quamvis ipsi sint numero plures quam sacerdotes — deque aliis id genus. Ideoque in communicatione officiali erectionis expresse asseveratur actum pontificium positum esse ad normam Litt. *Ecclesiae Sanctae*, I, n. 4 et Const. Ap. *Regimini Ecclesiae universae*, n. 49 § 1.

14. Finis cui assequendo Praelatura personalis Sanctae Crucis et Operis Dei erecta est « reduplicative pastoralis » dicitur in documento praeparatorio Sanctae Sedis necnon « qualificate pastoralis » in scripto citato Card. Baggio, nam duplarem complectitur aspectum: a) peculiare opus pastorale quod Praelatus cum suo presbyterio in servitium exsequitur laicorum qui Praelaturaे incorporantur, quod attinet ad graves et qualificatas obligationes ab iisdem assumptas; ex hoc autem minime sequitur eos efformare coetum ecclesiale in se clausum, quia considerandus quoque est alter aspectus praedicti finis, scilicet: b) apostolatus quem Praelaturaе presbyterium atque laici, in stricta atque inseparabili coniunctione, exercent, ut, apud omnes societatis ambitus, profunde diffundatur conscientia universalis vocationis ad sanctitatem et ad apostolatum et, magis in concreto, valoris sanctificantis quo ordinarius labor professionalis praeditus est⁴⁶.

⁴⁶ Officium promovendi sanctitatem personalem et evehendi ad ordinem gratiae laborem professionalem est quidem munus cunctae Ecclesiae commune pertinetque ad generalem spiritualitatem christiana-

Praelatura ergo constat Praelato, clericis eidem incardinatis necnon laicis eidem incorporatis. Attento igitur iure particulari a Sancta Sede sancito et in plena concordantia cum normis vigentibus necnon cum CIC anni 1983, in Praelaturam personalem erectum est *totum Opus Dei*, e ideo eiusdem partem efformant non solum clerci eidem incardinati, sed etiam laici illi — sive viri sive mulieres, cum caelibes tum matrimonio iuncti — qui, vinculo contractuali atque gravibus assumptis obligationibus, eius opera apostolica participant in iisque organice cooperantur.

De Praelati potestate, hoc statuitur in Declaratione S. Congregationis pro Episcopis: « ipsa est potestas ordinaria regiminis seu iurisdictionis, ad id circumscripta quod finem respicit Praelaturaे proprium, et ratione materiae substantialiter differt a iurisdictione quae, in ordinaria cura pastorali fidelium, Episcopis competit » (n. III, a). Hoc modo, sicut etiam in aliis Declarationis praescriptis explanatur, clausula illa servatur — nempe « salvis semper iuribus Ordinariorum locorum » —, quae tum in PO, n. 10 tum in ES, I, n. 4 exstat.

Praeter regimen proprii cleri, Praelati Operis Dei iurisdictio erga cunctos Praelaturaे fideles — sive clericos sive laicos — ea tantum est quae determinatur per obligationes concretas, Praelaturaе finem respicientes, quas ipsi assumunt iuxta statuta ad normam iuris condita. Nulla proinde exsurgit possilitas conflictus cum Episcopi dioecesani potestate, nam ii omnes « qui

nam. Id tamen non obstat quominus structura iuridica hunc in finem erigi possit: significat enim solummodo actionem Operis Dei plene inseri in missionem totalem ac unicam Populi Dei atque Dominum promovere voluisse aliquam institutionem quae, specificis mediis asceticis atque institutionis doctrinalis, commune illud officium fore curaret. Ceterum, universae institutiones ecclesiasticae fines habent specificos qui pertinent ad totalitatem spiritualitatis christianaе atque ad Ecclesiae finem.

ad Praelaturam (Operis Dei) pertinent, iuxta iuris praescripta, normis territorialibus tenentur quae tum dispositiones generales respiciunt indolis doctrinalis, liturgicae ac pastoralis tum leges ordini publico consulentes; sacerdotes praeterea generalem cleri disciplinam servare debent »⁴⁷.

15. « Praelaturaे clerus, eidem incardinatus, ex laicis provenit ipsi incorporatis: nullus proinde candidatus ad sacerdotium, diaconus vel presbyter Ecclesiis localibus subtrahitur »⁴⁸. Laici ergo Praelaturaे incorporati congruam recipiunt institutionem in Centris Praelaturaе et, si a Praelato vocentur et libere acceptent, sacros Ordines in eiusdem servitium recipiunt.

Laici qui Praelaturaे incorporantur graves et qualificatas obligationes assumunt — vitam spiritualem, doctrinalem institutionem et apostolatus exercitium respicientes, ad quem ambitum Praelati iurisdictio circumscribitur —, idque efficiunt non vi votorum, sed vinculi contractualis iure definiti (definiti nempe tum quoad vinculum ipsum tum quoad concretas obligations, quae in iure determinatae exstant). Ipsi vero esse pergunta fideles earum Dioecesium in quibus domicilium vel quasi-domicilium habent, ex quo consequentia immediata oritur: cum communes sint earum Dioecesium fideles, iidem subsunt iurisdictioni Episcopi dioecesanii in iis omnibus quae iure statuuntur quoad communes fideles. Ad abundantiam autem, seu maioris claritatis causa, additur in Declaratione S. Congregationis pro Episcopis eos servare debere normas generales quae pro apostolatu laicorum dentur sive a Sancta Sede sive ab Episcopis dioecesanis⁴⁹, necnon — uti iam supra expo-

⁴⁷ S.C. pro Episcopis, *Declaratio* cit., n. IV, a).

⁴⁸ *Ibid.*, n. I, b).

⁴⁹ *Ibid.*, n. II, c). Laici Operis Dei apostolatum praecipue exercent personalem, non autem ad modum coetus, in proprio cuius-

suimus — normis territorialibus teneri quae tum dispositiones generales respiciunt indolis doctrinalis, liturgicae ac pastoralis tum leges ordini publico consulentes⁵⁰.

que ambitu et inter laboris professionalis collegas. Praeterea quidam ex ipsis, una cum aliis eorum concivibus, incepta quandoque promovent indolis educative, socialis, assistentialis, etc., cuiusmodi sunt scholae, dispensaria medica aliaque multa id genus: id vero efficiunt velut consequentiam proprii laboris professionalis et tamquam fructum desiderii apostolatum peragendi, quapropter illa incepta non transformantur in activitates ecclesiasticas, licet haud dubiam ecclesiam utilitatem p[ro]ae se ferant, propter spiritum christianum quo imbuuntur et sociale servitium quod praestant. Quibusdam autem in casibus ipsum Opus Dei — qua institutio — his inceptis praebet specificam assistentiam pastoralem, ut apte prospiciat stabili eorum curae spirituali, quin tamen praedicta incepta laicorum suam amittant indolem civilem et professionalem. Ut id ad effectum deducat, Opus Dei Centrum erigit, licentia prius obtenta ab Ordinario loci, ad illa incepta christiane vivificanda, accurate servatis eorum legitima autonomia eorumque natura civili ac professionali, quin responsabilitatem umquam assumat de aspectibus technicis et oeconomicis horum inceptorum laicalium, in quibus servanda erunt non solum quae leges civiles in casu statuant, verum etiam praescripta ab ecclesiastica auctoritate circa rem de qua agatur lata: ex. gr., quoad catechismum tradendum in scholis, etc.

⁵⁰ *Declaratio* cit., n. IV. a). Cfr. etiam quae supra — n. 11 — de iurisdictione mixta scripsimus. Anno 1979, Praeses Generalis Operis Dei postulavit institutionis transformationem in Praelaturam personalem *cum proprio populo*, quod ita ab ipso, nunc Operis Dei Praelato, explanatur: «Tunc temporis iuris canonici periti distinguebant inter Praelaturas personales et Praelaturas personales cum proprio populo. Piores illae erant quae Praelato et clericis unice constabant ..., alterae autem illae erant quae laicis quoque constabant eisdem incorporatis. Congruebat igitur ut, relate ad Opus Dei, cuius pars maxima sunt laici, expressionem adhiberemus *cum proprio populo*: aliter enim videri posset nos postulare erectionem in Praelaturam alicuius partis Operis Dei — nempe clericorum —, sed desiderare ut laici remanerent qua Institutum Saeculare. Simul vero, in illis aliisque documentis ad Sanctam Sedem missis clare exponebatur usum expressionis *cum proprio populo* — necessarium quidem, ne tale aequivocum oriretur — minime significare Praelatura fideles ponendos esse sub completa atque exclusiva dependentia Praelati, et ideo independentes seu exemptos a iurisdictione quam ius commune Episcopis dioecesanis tribuit. Fortunata autem, mense decembri 1980, Pontificia Commissio CIC recognoscendo nuntiavit

Quod attinet ad relationes Praelatura cum locorum Ordinariis necnon ad harmonicam eius apostolatus insertionem in actionem pastoralem Ecclesiae universalis Ecclesiarumque localium, consensus requiritur Episcopi dioecesani non tantum ad praedictum apostolatum exercendum — uti praescribitur in CIC, can. 298 —, verum etiam ad unumquodque Praelatura Centrum erigendum⁵¹. Pariter, praeter ea quae iam exposuimus de omnium fidelium dependentia ab Ordinarii loci iurisdictione, clerici Praelatura incardinati facultatibus indigent a competenti auctoritate territoriali concessis, ut suum ministerium erga personas ad Opus Dei non pertinentes exercere queant⁵². Praeterea, si, de consensu Praelati, alicui sacerdoti Praelatura munus vel officium in Dioecesi committatur, in eiusdem perfunctione ipse ab Episcopo dioecesano exclusive dependet eique soli rationem reddere debet.

Tamquam Associatio clericorum cum Praelatura inseparabiliter iuncta, exstat Societas Sacerdotalis Sanctae Crucis, ad quam pertinere quoque possunt illi sacerdotes saeculares dioecesis incardinati, qui sanctitatem in exercitio sui ministerii prosequi desiderent iuxta spiritum et proxim asceticam Operis Dei. Attamen « vi huius adscriptionis (Societati Sacerdotali) ipsi sacerdotes non efficiuntur membra cleri Praelatura, sed quoad omnes effectus sub regimine manent proprii Ordinarii, quem, si id desideret, de praedicta adscriptione certiorum reddent »⁵³. Praelatus Operis Dei est simul Praeses Generalis istius Societatis Sacerdotalis, sed eius iurisdictio nullo pacto attingit praedictos sacerdotes, et ideo

illam expressionem *cum proprio populo* suppressam esse in schematis canonum novi Codicis » (J. NAVARRO VALLS, cfr. supra nt. 45).

⁵¹ Cfr. *Declaratio*, cit., n. V, a).

⁵² Cfr. *ibid.*, n. IV, b).

⁵³ *Ibid.*, n. VI.

vitatur quilibet conflictus potestatis, immo et sic dicta duplex oboedientia, cum nulla in Societate vigeat oboedientia interna, sed solummodo normalis illa disciplina in qualibet consociatione exsistens, quae provenit ex obligatione colendi ac servandi proprias ordinationes; quae ordinationes, hoc in casu, ad vitam spiritualem exclusive referuntur.

IV. DE PRAELATURIS PERSONALIBUS IN CODICE IURIS CANONICI

16. Titulus « De Praelaturis personalibus » novus est in Codice, et canones complectitur 294-297, qui essentialia Praelaturarum personalium continent elementa, prout iam exstabant in Motu pr. *Ecclesiae Sanctae*, I, n. 4, cuius textus fere ad litteram servatur. Cum autem unaquaeque Praelatura personalis sua habere debeat statuta, ab Apostolica Sede condita (can. 295 § 1), praedicti canones considerari queunt ut normarum generalium complexus, semper quidem servandus sed simul iure particulari complendus (*legge-quadro, Rabmengesetz*).

Possunt Praelatura personales ab Apostolica Sede erigi non solum ad peculiaria opera pastoralia vel missionalia perficienda, ut praevidebatur in ES, verum etiam ad aptam presbyterorum distributionem promovendam (can. 294), quod — uti exposuimus — etiam congruit cum praescriptis PO⁵⁴.

Considerantur autem Praelatura personales ut entia iurisdictionalia indolis saecularis (can. 294) — cum Praelato proprio, cuius officii provisio ad R. Pontificem spectat⁵⁵ —, quorum actio pastoralis vel missionalis

⁵⁴ Cfr. supra, nn. 2 et 9.

⁵⁵ Haec videtur esse exigentia ex ipsa rei natura proveniens,

exercetur « pro variis regionibus aut diversis coetibus socialibus » (can. 294) in ambitu sive nationali sive internationali (uti profluit quoque e iure Praelati erigendi seminarium nationale vel internationale, ad normam can. 295 § 1).

Servatis iuris universalis praescriptis, quae cunctis Praelaturis applicantur, unaquaeque Praelatura sua habeat necesse est statuta a Sancta Sede condita, in quibus determinari debent normae iuris particularis ipsam regentes (can. 295 § 1). His in statutis, uti par est, normae exstabunt circa institutionem ac regimen clericorum, qui Praelaturaे incardinentur (cann. 295 § 1 et 265); si autem in Praelaturaе actione laici organice cooperentur, determinari quoque debent in iisdem statutis tum modus quo ipsi — mediantibus conventiōnibus seu vinculis indolis contractualis — talem participationem in Praelaturaе fine ad effectum deducere queunt, tum etiam iura atque officia quae ex predicta dedicatione sequantur (can. 296).

Clausula autem « salvis iuribus Ordinariorum locorum »⁵⁶ technicam structuram his in canonibus obtinet, nam praescribitur in can. 297: « Statuta pariter definit rationes praelaturaе personalis cum Ordinariis locorum, in quorum Ecclesiis particularibus ipsa praelatura sua opera pastoralia vel missionalia, praevio consensu Episcopi dioecesani, exercet vel exercere desiderat ». Re quidem vera loci Ordinarii iura debite hoc modo proteguntur, quia: a) statuta conduntur ab Apostolica Sede (can. 295 § 1), cui curae erit de iis iuribus tutandis; b) ante Praelaturaе erectionem, eae quarum intersit Episcoporum conferentiae audiuntur (can. 294); c) praevius requiritur Episcopi dioecesani consensus, ut

nam Praelatus praeficitur structurae non indolis associativae, sed ad Ecclesiae compositionem hierarchicam pertinenti.

⁵⁶ Cfr. PO, n. 10; ES, I, n. 4.

in territorio alicuius Ecclesiae localis sua opera pastoralia vel missionalia Praelatura exerceat.

17. Asseruimus hos canones substantialiter servare redactionem quae exstat in ES, licet textus abbrevietur et quaedam emendationes introductae sint. Praecipuae differentiae hae sunt:

— Iuxta Codicis canones, Praelatura personales erigi quoque possunt ad aptam presbyterorum distributionem promovendam, uti iam supra notavimus.

— In lege indolis universalis nunc primum additum est adiectivum « Praelatura personales », quod invenitur utique in Decr. PO, n. 10, deest tamen expresse in ES necnon in Const. Ap. *Regimini Ecclesiae universae*, etsi subintellegatur ex eorum notis⁵⁷.

— Iuxta ES, ante Praelatura personalis erectio nem audienda erant Episcoporum conferentiae « territorii, in quo (Praelatura) operam suam praestabunt »; in can. vero 294 simplicius dicitur: « auditis quarum interest Episcoporum conferentiis ».

— In CIC non retinentur praescripta ES de conventionibus Praelatum personale inter et loci Ordinarium, ideoque verba expunguntur iuxta quae Praelatus prospicere debebat presbyterorum Praelatura « peculiari ministerio, initis conventionibus cum Ordinariis locorum ad quos sacerdotes mittuntur »: huius suppressionis ratio bene respondet ad praescripta canonum Tituli « De Praelaturis personalibus », qui Praelaturas contemplantur *ad peculiaria opera pastoralia vel missionalia perficienda*, id est, quae haec opera ipsae, qua

⁵⁷ Etenim ES, I, n. 4 conditum est ad exsequendum PO, n. 10, uti patet e rubrica; in Const. Ap. *Regimini Ecclesiae universae*, n. 49 § 1, postquam de Praelaturis agitur ad peculiaria opera pastoralia perficienda, nota remittit ad Decr. *Christus Dominus*, n. 42 (ubi de Episcopis munere interdiocesano fungentibus) necnon ad PO, n. 10 et ES, I, 4.

tales, exsequuntur de Episcopi dioecesani consensu. Id confirmatur quoque e can. 295 § 2, in quo obligatio Praelati statuitur providendi congruae presbyterorum sustentationi, dum in ES specificabatur relate ad eandem sustentationem: « cui quidem consulendum est per easdem conventiones, vel bonis ipsius Praelaturaे propriis, vel aliis subsidiis idoneis ». Hoc non impedit quominus huiusmodi conventiones fieri possint⁵⁸; si Praelatura personalis vero erigatur ad clerum apte distribuendum, ipsa hac in re procedet iuxta sua statuta necnon — ex analogia, quia Praelatura personalis non est Ecclesia particularis — ad normam can. 271 § 1.

— De laicorum dedicatione operibus apostolicis Praelaturaे servatur requisita conventio Praelaturam inter et eum cuius intersit ineunda, et expunguntur verba ES « sive caelibes sive matrimonio iuncti », quae quidem specificatio necessaria non videtur iuxta technicam iuridicam in universo CIC adhibitam, nam verbum « laici » cunctos complectitur. Pariter suppressa est explanatio « sua peritia professionali », idque, censemus, quo latius pateat ambitus intra quem laici organicam cooperationem praestare possunt.

Quod ad laicos quoque attinet, qui Praelaturaе fini prosequendo sese dedicant, haec in canone adduntur verba: « modus vero huius organicae cooperationis atque praecipua officia et iura cum illa coniuncta in statutis determinentur », quibus verbis extollitur non solum intentio subiectiva laicorum sese dedicandi servitio operum et inceptorum Praelaturaе, sed etiam ipsum factum obiectivum, eorum nempe cooperatio in operibus apostolicis Praelaturaе personalis. Haec cooperatio praesupponit actum voluntatis, et quidem bilateralem, qui firmatur conventione seu contractu inter laicum et Praelaturam.

⁵⁸ Cfr. S. C. pro Episcopis, *Declaratio* cit., n. V, b).

Verbum « cooperatio », in stylo Codicis atque Concilii Vaticani II, non unam habet significationem, sed frequenter indicat plenam participationem seu aequalitatem eandemque intensitatem in agendo, pro modo quidem cuiusque proprio⁵⁹. Additur autem adiectivum « organica », quod semper adhiberi solet ad indicandum aliquid vivum et connexum⁶⁰, nempe, in casu, illos laicos membra effici viva corporis socialis Praelaturaie eiusdemque actuositatem plene participare⁶¹.

18. Ad collocationem quod attinet systematicam huius Tit. IV « De Praelaturis personalibus » in Parte I (« De christifidelibus ») Libri II, notandum est ipsum prius inveniri in Parte II eiusdem Libri non solum usque ad mensem octobrem anni 1981⁶², quo tempore

⁵⁹ Cfr., ex. gr., can. 208, de vera aequalitate inter omnes christifeideles, « qua cuncti ... ad aedificationem Corporis Christi cooperatorantur ».

⁶⁰ Vid., ex. gr., usum verbi « organica » in sequentibus locutionibus: « in tuto ponatur praeprimis uniuscuiusque dioecesis unitas *organica*, ... ad instar corporis apte viventis » (Decr. *Christus Dominus*, n. 23); « indoles sacra et *organice* exstructa communitatis sacerdotalis et per sacramenta et per virtutes ad actum deducitur » (Const. dogm. *Lumen gentium*, n. 11); « Spiritu Sancto *organicam* structuram eiusque concordiam continenter roborante » (*ibid.*, n. 22); « variis in locis ab Apostolis eorumque successoribus institutae Ecclesiae decursu temporum in plures coaluerunt coetus, *organice* coniunctos » (*ibid.*, n. 23); pariter *communio* « non intelligitur de vago quodam *affectu*, sed de *realitate* *organica* » (*Nota explicativa prævia*, 2º). Vid. etiam Const. *Sacrosanctum Concilium*, n. 23; Decr. *Orientalium Ecclesiarum*, nn. 2 et 6.

⁶¹ Haec laicorum participatio in Praelaturaie operibus tam plena esse potest, ut ipsorum relatio cum Praelatura vere sit et vocetur incorporatio, sicut accidit quoad laicos Praelaturaie Sanctae Crucis et Operis Dei (cfr. S. C. pro Episcopis, *Declaratio* cit., nn. I, b; II, b; III, b; IV, c). Verbum *incorporatio*, quoad laicos, adhibebatur quoque in schemate novissimo CIC, 25 martii 1982, can. 575. Expressio « *cooperatio* *organica* » videtur esse magis flexibilis, quia sic lex generalis non imponit cunctis Praelaturis eundem gradum participationis laicorum in earum fine et operositate.

⁶² Cfr. « *Communicationes* » 12 (1980), pp. 275-283; 14 (1982), pp. 201-203.

locum habuit Adunatio Plenaria membrorum Commissionis CIC recognoscendo⁶³, verum etiam in schemate Codicis dicto « novissimo », post praefatam Adunationem emendato et recognito⁶⁴.

In Codice promulgato Titulus de Praelaturis personalibus positus est, uti diximus, in Parte I Libri II, idque respondere videtur optioni systematicae ex qua profluunt sane utilitates nonnullae, at simul motiva perplexitatis sub aspectu technico iuridico, quae forsitan iuris cultores ducent ad accuratum examen institendum circa criteria adhibita in ordinatione systematica Libri II.

Utilitates praedicti ordinis systematici hae videntur esse:

a) plenius adhuc sancitur distinctio inter Praelaturas personales et Ecclesias particulares ceterasque structuras iisdem assimilatas, de quibus in cann. 368 ss. Quamquam Praelature personales notas aliquas prae se ferunt communes cum Ecclesiis particularibus — habent nempe Praelatum a Summo Pontifice constitutum, clerum saecularem eisdem incardinatum, etc. —, haec distinctio systematica iterum in mente defigit aspectum magni momenti, qui cum practica exsecutione clausulae « salvis iuribus Ordinariorum locorum » (cfr. supra, n. 16) relationem habet: videlicet Praelati personalis iurisdictionem — quae vera est potestas regiminis, ordinaria et propria — apte componi cum iurisdictionibus territorialibus, neque locum dare conflictui cum potestate Episcopi diocesani, qui caput exstat suae Ecclesiae particularis atque unitatis pastoralis sponsor in suo territorio;

b) distinguitur pariter Praelatura personalis ab

⁶³ Cfr. « *Communicationes* » 13 (1981), pp. 255-270.

⁶⁴ Cfr. CIC, schema novissimum, 25 martii 1982, cann. 573-576.

entibus indolis associativae, scilicet ab Institutis vitae consecratae et Societatibus vitae apostolicae, de quibus in Parte III Libri II, necnon a fidelium Associationibus, de quibus in Titulo V Partis I: iuris enim sese associandi praedictae formae in Codice agnoscantur (cfr. can. 298 § 1), et Praelatura personalis in alia linea collocatur, id est inter organa pertinentia ad Ecclesiae structuram hierarchicam et pastoralem.

Si quaeratur cur, in postrema periodo, canones de Praelaturis personalibus positi sint in Parte I « De christifidelibus » cum eorum locus logicus esset Pars II « De Ecclesiae constitutione hierarchica », ratio videtur reponenda in concretis notis quibus pollet Pars II, duabus Sectionibus constans, quarum in prima agitur de suprema Ecclesiae auctoritate, in altera vero non amplius de auctoritate (inferiore) sed de Ecclesiis particularibus deque structuris iisdem assimilatis, quo tamen nomine illae solummodo veniunt in quarum constitutione duo elementa concurrunt, quibus valor absolutus tribuitur: a) *territorialis circumscripn*, uti patet ex formula taxativa can. 372⁶⁵; b) constitutio seu erector *ad plene assumendam integrum curam pastoralem* eorum fidelium qui in praedicto territorio inveniuntur, ita ut ipsi constituant populi Dei portiones omnino independentes seu exemptas relate ad alias ecclesiasticas iurisdictiones.

Intra ambitum huius optionis systematicae — quae forsitan nimis rigida considerari potest⁶⁶ —, nullus re-

⁶⁵ Vid. *Principia quae Codicis Iuris Canonici recognitionem dirigant*, n. 8, in primo Coetu Generali Synodi Episcoporum approbata, mense octobri 1967, ubi circumscripn territorialis, utpote non essentialis, proponitur tamquam regula generaliter servanda, quin possibilitas excludatur aliis criterii delimitationis seu determinationis fidelium, sed — quod notandum est — « insimul saltem cum territorio » (*Communicationes* 1, 1969, p. 84).

⁶⁶ Huius rigiditatis signum atque exemplum ex eo etiam patet

manet locus aptus pro Praelaturis personalibus in Sectione II Partis II Libri II: criterium enim adhibitum postulabat ut de solis Ecclesiis particularibus atque structuris eisdem assimilatis ageretur, nisi rubricae « De Ecclesiis particularibus earumque coetibus » verba adderentur « deque Praelaturis personalibus », quae inscriptio forsitan nimis extensa videri potuisset. Exstat igitur incongruentia systematica, non tamen afficiens indolem entis iurisdictionalis ad Ecclesiae structuram pastoralem pertinentis, quae Praelaturis personalibus competit ex ipsa rei natura, etiam sub luce documentorum Concilii Vaticani II.

JOSÉ LUIS GUTIÉRREZ

quod, praeter genericam referentiam ad militum cappellanos, qui « legibus specialibus reguntur » (can. 569), e schematibus CIC suppressa est quaelibet mentio Vicariatus Castrensis, qui est structura iurisdictionalis personalis, etsi pro determinato territorio nationali constituta — scilicet intra ambitum plurium Ecclesiarum particularium seu localium — ad exercendam plenam animarum curam, licet iurisdictio Vicarii Castrensis sit cumulativa cum iurisdictione Ordinarii loci: quae lacuna Codicis haud facile explanari potest. Vid. S. C. Consistorialis, Instr. *Sollemne semper*, 23 aprilis 1951 (*AAS* 43, 1951, pp. 562-565). Vid. etiam Decreta erectionis singulorum Vicariatum Castrensum.